



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ODIENNENSIS\*** IN LITORE EBURNEO NOVA  
CONDITUR DIOECESIS ODIENNENSIS Ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Litore Eburneo eiusque  
regimini facilius et efficacius consulendum petitum est nuper ut in eadem Natione nova constituantur dioecesis.  
Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium  
Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii  
Bolonek, Archiepiscopi titulo Madaurensis atque in Litore Eburneo Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt  
esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem  
sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Korhogoënsi hucusque dioecesi  
separamus territorium districtus civilis, qui patro sermone nuncupatur Odienné; a Manensi autem dioecesi seiungimus  
territorium districtus civilis Touba; a Daloaënsi denique dioecesi distrahimus territorium districtum civilium Séguéla et  
Mankono; ex iisque novam condimus dioecesim *Odiennensem*, quam hoc ipso die constitutae metropolitanae Ecclesiae  
Korhogoënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius  
limites iidem erunt ac illi qui supra sunt definiti. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Odiené atque templum  
ibidem extans, Deo in honorem sancti Augustini dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero  
secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek,  
quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium  
Evangelizatione cito mittenda. Hanc quidem Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse  
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis*  
*Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, pp. 538-539 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana